DISSERTATIO INAUGURALIS QUAM AD LAUREAM MEDICAM RITE...

Vitale Venezian

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD LAUREAM MEDICAM

RITE OBTINENDAM

PUBLICE HABUIT

IN AULA MAGNA

PERVETUSTI AC CELEBERR. ARCHIGYMNASII PATAVINI

VITALIS VENEZIAN

TERGESTINUS

DIE XV MARTII MDCCCXLVI

PATAVII

TYPIS SEMINARII

1846

DE CANCRO

Cancer morbum sistit ineluctabilem, foedissimum, teterrimum atque eo majori studio dignum, quo numerosiores victimae generis humani ab hoc flagello recentiori tempore perimuntur non solum, verum etiam quo magis sperare licet, fore ut disciplinae medicae methodo qua nunc tractantur tandem quamdam lucem in re tam tenebrosa afferant. Hucusque tamen ex ipsis recentissimis studiis nil clarius elucescit, quam innumeras adesse difficultates quibus elucubratio hujus argumenti nunc quoque temporis obsidetur. Namque et cl. Richerand in hanc sententiam inivit, quod aeque ac cancrum curare, difficile sit ipsum definire; atque Müllerus nullos genericos characteres statuere valuit cancri proprios, sed ex diffusa plurium specierum descriptione, speravit fore ut cancri ipse typus innotesceret. Difficultatem, qua haec materies obsita est, ex eo augeri credidit cl. Andral, quod cancri nomine me-

taphorico, caligine temporum pervetustorum creato, continuamus appellare laesiones plures longe a se invicem diversas.

Notiones certae de cancro in antiquissimis quoque auctoribus obveniunt. Jam Hippocrates advertit, cancros occultos fieri (καρκῖνοι κρυπτοὶ φύονται) ex nodositatibus, quae interdum in mammis feminarum post cessationem menstruationis exortae ad suppurationem non tendunt, semper vero magis indurescunt. Hic ergo cancerum occultum pro scirrho habebat. Galenus nunc scirrhum, nunc carcinoma unum eundemque tumorem, durum, elasticum, superficie inaequali, quasi omnino indolentem et absque ulceratione (ἄνευ ἕλκεος) appellat. Cum Boerhaave autem a posterioribus medicis: »cancer, si suis continetur pellibus, occultus, his ulcere ruptis, manifestus vel ulcerosus dicitur; posterior primi soboles«. Quum vero cancer non solum e tumore subter pellibus abscondito promanet, sed et quodcumque ulcus cancerosum fieri atque proinde cancerum apertum seu exulceratum generare possit; a recentioribus melius adhuc, nomine cancri occulti abolito, scirrhus vel scirrhoma ejus loco acceptum ad designandum tumorem, cujus characteres sat exactos jam superius e Galeno habuimus. Alii uti cl. Gandolfi scir-

rhum, cancrum occultum, atque cancrum apertum tamquam tres successivas periodos unius ejusdemque morbi statuunt, qui primitive scirrhi nomine ab iis appellatur.

Si nunc a simplici vocabulorum usu atque determinatione ad ulteriorem subjecti expositionem procedentes inquirere velimus in definitiones ab auctoribus tentatas, subito magna argumenti difficultas apparet. De intima enim hujus morbi natura quum plane nihil hucusque eruere potuerint auctores, neque praeterea ipse cancer per omnes evolutionis periodos constantes characteres offerat, quibus determinari atque a reliquis morbis distingui queat, justae definitionis elementa desunt. Nihilosecius canceri definitiones adsunt plurimae, quae quidem omnes plus minusve peccant, quae tamen tot quot sunt ad duplicem classem reduci possent, sive nempe quae morbi originem magis generalem, sive quae magis localem ejus originem respiciunt. Ex auctoribus nunc aliquas definitiones excerpemus: Waltherus ulcus cancerosum illud in textu organico peculiare ulcus appellat quod cum morbo constitutionali tali in mutua relatione existit, ut exinde partis ipsius materies organicae alteratae indolis procedat, atque omnino errari nequit, nisi pars ipsa

ad certam usque profunditatem extirpetur. Cancer a Vetter textus dicitur anomalus cujus cellulae primitivae (primigenium organicum semper est cellula) in compage organorum sponte exoriuntur, qui in ipsorum detrimentum crescit, immo ad destructionem peculiaris ipsius organici textus omnino confert, pro maxima parte ex albuminosa materie constat, atque cum morbo constitutionali tali in relatione existit, ut textus anomali extirpatio nullo modo ipsius renovationem in eadem ipsa aut alia sede praevitare possit. Andral autumat minime nunc temporis cum Bayle atque Laennec repeti posse, quod cancer a substantia sui generis sive scirrhosa aut encephalode, tum una simul praesentibus, tum separatis repraesentetur; asserit nempe se saepius in cadaveribus ejusmodi substantias anomalas detexisse, quin canceri symptomata praecesserint, atque vicissim in ulceribus vere cancerosis istam substantiam pluries defuisse. Cancer juxta Andral est nonnisi stadium ulcerationis laesionum pathologicarum varii generis, ulceratio tamen quae hoc in proprio habet, quod ad cicatrisationem numquam pergit, sed potius quaquaversus sese extendendo partes vicinas destruit. Illustris Gandolfi in probatissimis suis studiis ab Italico naturae curiosorum Congressu Mediolanensi prae-

mio donatis quum aequam definitionem stabilire nullo modo speraverit, hunc morbum in tria stadia dispescere atque ipsa singillatim describere adgressus est.

Ut definitionibus relictis canceri historiam prosequamur, dicendum quoad ejus formam, cancrum e scirrho in glandulis evolvi, sub forma canceri glandularis, sut sub forma cancroidis e verrucis in cute, vel ex aliis malignis parasitis textus cutanei aut subcutanei textus cellularis sub forma canceri tuberosi. Ulcus denno cancerosum exoriri potest secundarie, ex ulceribus syphiliticis, scrophulosis aliisque, vel ex vegetationibus diversis quae ab origine cancerosam labem minime referentia, serius in eamdem incidunt ex variis causis quae ad malum corporis habitum, sd pravum regimen, ad curam irritantem et similla referri possunt. Quoad sedem dicendum quod paucae tantum humani corporis telae cancrum primitivum fovent: praeprimis eodem affici solent glandulae conglomeratae; deinde glandulae congtobatae quae tamen saepius cancro secundario laborant; tandem in cute externa atque in ipsa cute introflexa, in tela cellulari, mucosa, inodulari atque ossea in canceros primitivos offendimus. Musculi tamen atque praecipue qui locomotionis sunt instrumenta, membranae serosae, cartilagines atque ten-

dines canceroso morbo tantum secundarie affliguntur. Cancer glandularis saepius in externis glandulis conglomeratis occurrit, atque omnium frequentissime in glandula mammaria, deinde in glandula maxillari, lacrymali, in glandulis Meibomianis, in teste atque in prostata. Ejusmodi tamen cancri diagnosis, quum jam apertus sit, atque e cancro genuino occulto, sive e vero scirrho, e scirrhomato etc. promanaverit, minime dubia esse potest, quamvis phaenomena quae tum ab origine ulcerationis, tum et in ipsius decursu exoriuntur in singulis casibus multum a se invicem differant.

Ulcus carcinodes in cuto vel originem trahere solet ex verruca rigida, dura, aspera, serrata, decolora, epidermide priva, quae sub nomine *cancroidis* ubvenit; vel ex aliis corii parasitis, quae tuberosa, condromatosa aut fungosa sub nomine *cancri tuberosi* aut *celoidis* veniunt; vel nonnunquam e maculis nigro-rubris aut bruno-nigris; vel alias ex aliqua crusta super cute prominenti evolvitur; atque saepius illam sedem praediligere solet, qua cutis sese introflectit tenuior evasa. Partes cutis nervis copiosioribus praeditae hujusmodi productionibus saepius afficiuntur; uti sunt papilla mamillaris, labium inferius, nasus, oculi, partes pudendae, intestinum rectum etc.

Excrescentiae superius nominatae interdum citissime augescunt; nunc molles atque fungosae, nunc cartilagineae, nunc solitariae, nunc coacervatae reperiuntur; aliae magis planae impetiginum similes crustas habent arentes crassioresque quae saepius decidunt ut iterum renoventur; aliquando tamen ulcerantur atque ulterius extenduntur, levissimo attactu sanguinem mittunt, saniem secernunt acrem foetidamque, dolores excitant lancinantes periodicos, non raro fundum habent scirrhosum, atque constanter omni curae manent rebelles. Tandem ulcus carcinodes secundarium exoriri potest in cute ex laesionibus aliis aut ex ulceribus diversae indolis, aut pessime aut omnino non curatis.

Ulcus phagedaenicum plurimum evolvitur e verruca parva atque indolenti, quae autem mox ex quibuscumque mechanicis irritationibus dolens fit, ipsaque in conicam formam increscente epidermis rumpitur atque in lucem prodit massa fungosa rubra, aut ex rubro subnigra quae acrem secernit saniem. Haec massa fungosa ulterius vegetat, ulcerationis margines crassi atque callosi facti urescunt atque vehementissime dolent, sanies fit corrosiva, cordae lymphaticae exoriuntur, atque vicinae glandulae intumescunt, serius et ipsae in verum scirrhum et cancrum transiturae.

In membranis mucosis cancer saepius secundarius evolvitur ex vegetationibus polyposis, speciatim vero ex polypis sic dictis fibrosis atque condromatosis qui duri, superficie inaequales, sulcati ex nigro rubri aut caerulescentes atque dolentes sunt, levissima causa sanguinem mittunt, facile ulcerantur atque tunc eadem ac ulcus cancerosum offerunt phaenomena, immo penitius indagati eamdem praeseferunt naturam ac verus cancer.

Cancer etsi raro, attamen in nervis quoque evolvitur sub nomine *neuroscirrhi, neuromatis, steatomatis nervosi.*

In ossibus cancer tum primitivus tum secundarius sub duplici forma, osteosarcomatis scilicet, aut osteosteatomatis apparet.

Pauca haec quae circa cancri formam atque sedem hucusque protulimus, continuari possent cum copiosissimis descriptionibus, quae in multis auctoribus sparsae ex diligentibus autopsiis hujus eteromorphi multiplices formas revelant. Quum autem ad perfectam cognitionem non tantum curiosa factorum indagatio, quam aequa ipsorum distinctio atque distributio faciat; utilissima et hic classica foret series qua multiplices atque diversissimae formae comprehendi possent.

In pertractandis vero cancri historiae singulis capitibus ipsa atque eadem difficultate semper obruimur; quousque enim hujus morbi natura quidquam penitius indagata, vel saltem subjectum exactius circumscriptum non fuerit, qui circa ipsum fient sermones semper vacillabunt. Nihilosecius hujusmodi divisionis tentamina plura ab auctoribus proposita fuerunt, ex quibus nunc sequentis in medio ponontur.

Alibert in Nosologiae naturalis Parte I sex cancri species statuit: 1. *Canc. fungoides*, canc. vulgaris; 2. *C. terebrans*, c. cutaneus; 3. *C. eburneus*, qui duritiem habet eburneam; 4. *C. globosus*, c. sphaeroides, qui tum in capite, tum in pedibus etc. obveniens, saepe indolens, coloris violacei aut subnigri, ad aliquem circumscriptus non manet locum, sed ad majorem sese extendit superficiem; 5. *C. anthracineus*, qui ex quadam cutis nigra macula cum molesto pruritu evolvitur cancer, atque sub incremento excrescentiam frambösiae forma evolvit; 6. *C. meloenus, tuberosus*, qui in cute existit aut in textu cellulari subcutaneo ex tuberibus aut celoïdibus plus minusve coacervatis, pina minnave magnis.

Müllerus pariter carcinomatosi tumoris sex diversas formas describit: 1. scirrhum, carcinoma simplex,

378

carcinoma fibrosum; 2. carc. reticulare; 3. carc. alveolare; 4. carc. melanodes; 5. carc. medullare; 6. carc. fasciculatum.

Quibus tamen omnibus canceri diagnosis parum adjuta fuit, quum adhucdum magistri perillustres in ejusmodi tumorum diagnosi judicio haereant, num ipsis revera malefica illa adsit indoles, quae omni curae manent rebelles nisi ferro extirpentur, immo ferro quoque rescissi mythicae hydrae in formam centum capitibus ex uno corpore resurgunt, vel saltem ipsa primitiva sede renovantur, sed multo deterius in praecipitem corporis ruinam crescunt. Namque uterque hic character, insanabilitas scilicet, atque post ablationem facilis ejusdem morbi ipsa primitiva aut aliis corporis partibus renovatio, omnibus reliquis signis certius pro natura canceri loquuntur; et tamen, quum nimis sero in scenam veniant, nullam normam therapeuticam exinde desumere licet. Immo ex characterum deficientia quibus natura canceri exacte determinetur, explicari potest dissensus ille mirabilis qui inter auctores praestantissimae famae existit, quorum alii ipsi atque eidem curae bonum, alii malum exitum fere semper successisse volunt Monro asserit ex sexaginta individuis e cancro operatis, quatuor exceptis, se post duos annos

in omnibus reliquis canceros recidivos vidisse. Summus Scarpa e diuturna atque vastissima praxi tantum tres casus refert quibus scirrhi mammae genului extirpati fuere absque recidiva, quum tamen nullae praecesserint in tumore molestae sensationes, nec ulla emollitionis indicia. Hill e contra octoginta et octo canceros se extirpasse dicit, qui quatuor exceptis omnes reliqui aperti erant, et tamen ex omnibus duo soli infaustum exitum habuere. Eapropter quum cancri diagnosis per se tam difficilis sit, ad caeteras conditiones attendendum ex quibus in ejusmodi casibus aliquod lumen elucescat. Et omnium primum ad constitutionem corporis universam respiciamus, quicum ex definitionibus semper morbum localem in mutua relatione atque in mutua dependentia existere cognovimus Atque revera, etsi quod aliqui contendunt concedatur, quod cancerosi morbi origo in processu locali continetur, in dubio saltem haerere non licet, quod e cancro locali vix exorto labes ad universum pertineat organismum; atque eadem ipsa sententia de canceroso quoque morbo valebit, quam Ricord in tractatu De syphilide circa syphilidem statuit: qui inquit, ulcus syphiliticum sie dictum induratum habet, ipse et syphilide constitutionali jam laborat

Praeterquam permulti inveniuntur auctores qui a morbo constitutionali cancrum localem semper progigni putant. Engel professor Tigurinus in studiis anatomico-pathologicis «De sanguinis crasibus» inscriptis, quibus Humoristarum doctrinae genio recentissimorum temporum illustrantur, crasim sanguinis peculiarem describit, quam cancerosam appellat. Illustris Gandolfi diathesim scirrhosam assumit, tamquam complexum conditionum interni organismi quae cancrum progignere valent, atque ipsam a dyscrasia sive e cachexia cancerosa distinguit, quae solum e sanie cancri resorpta producitur. Ista tamen diathesis perraro signis certis sese revelat, quum a laesione materiali interna functiones organicae tantopere non alterentur ut symptomata directa sub oculos cadant; atque ubi ista symptomata magis apparent, ipsa cum conditionibus peculiaribus temperamenti individualis, vel potius cum causis connecti possunt, quae ad productionem scirrhi confluxerunt, magis quam cum alteratione interna.

Tandem juxta Gandolfi phaenomena diatheseos scirrhosae, ubi existant, cum phaenomenis diatheseos chloroticae conveniunt.

Saepius atque saepius igitur nulla, interdum solum pauca, attamen non distincta phaenomena adsunt, qui-

bus ejusmodi diathesis dignosci potest, neque propterea, in sola pro instituenda therapia utili periodo, ex constitutione corporis universa magis perspicuam indolem morbi habere possumus.

Caeterum quaedam conditiones quae ab organica sede, a sexu atque ab aetate desumuntur, diagnosim quidquam declarare valent; scimus enim in sexu sequiori atque in media aetate vitae majorem ad cancrum praedispositionem adesse. Sic, exempli gratia, Berolini sexenni periodo inter 35,454 decessos, 242 cancri occurrerunt, quorum 64 in viris adultis, 172 in feminis adultis, quatuor tantum in pueris, atque quinque in puellis. Deinde ex 172 feminis a canceroso morbo raptis, 110 cancro uterino laborarunt: quocirca desumi potest quod praeter uterum, qui peculiarem ad cancri morbum proclivitatem habet, caeterum in utroque sexu aequalis adsit praedispositio, tantummodo vero in feminis praesertim mamma, in viris labium inferius atque ventriculus canceroso morbo praecipue afficiuntur.

Ex causarum doctrina nihil desumi licet quod originem morbi magis perspicuam reddere valeat, quum affectio cancerosa nullum cum causis externis strictum agnoscat nexum, sed potius tamquam flos internae pe-

culiaris constitutionis germinet. Potest quidem interdum ex violentia glandulis impacta tumor exoriri qui in scirrhum abeat, sed hic certe magis quam violentia externa est in causa interna praedispositio Immo tum Rust tum Gandolfi processum indurationis a vero scirrho hoc differre tradunt, quod prior verum inflammationis processum subsequatur, alter spontaneus nullius morbi succedaneus exsurgat. Aliquando vero quaedam conditiones praedispositionem ad cancrum praecedunt quae diagnosim aliquo modo fulcire valent: praeprimis recenseri meretur suppressio fluxuum habitualium, tum sanguinis menstrui, tum sanguinis haemorrhoidalis, tum aliarum pathologicarum secretionum, quae vel ab ulceribus inveteratis, vel per fluorem album etc. fiunt, quibus iterum apparentibus immo saepius accidit ut cancri evolutio suspendatur, atque vicissim, ex gr., periodo climaterica cancer saepius rapidissimos facit progressus. Praesentia aliarum dyscrasiarum, uti syphiliticae, scorbuticae, herpeticae, arthriticae etc. parvum tantum fundamentum struunt ad diagnosim certiorem reddendam. Inddis igitur omnibus reliquis indiciis diagnosis tantum per cancri decursum confirmari potest, quem ulterius describere hic loci non est. Circa hunc decursum tantum advertí

licet, quod phaenomena universalia quae stadium emollitionis comitantur, ab aliis omnino differunt quae in profusis suppurationibus, in affectionibus hecticis atque phthisicis insurgunt. Symptomata verae tabis semper deficiunt, et quod supervenit letum, nisi accidat ex ipsius organi affecti functione turbata, aut ex frequentibus haemorrhagiis a vasis morbose dilatatis, semper producitur ex viribus per dolorem exhaustis.

Tandem non omittenda momentosa illa quaestio quae circa cancrum facta fuit, num ipse morbus sit haereditarius; cui responderi potest cum Pearson, Alibert, Vetter, Ullman et aliis saepius plurium generationum individua ex eadem familia ejusmodi morbo affici. Verumtamen per generationem potius dispositio ad cancrum suscipitur, quae deinde a consuetudinibus familiaribus fere semper identicis eo magis fovetur; namque genus vitae, nutrimentorum indoles, animi habitus, temperamentum climaticum etc maximum in cancri productione influxum habere dicuntur. Sic in urbibus magis quam ruri frequentiores cancri sunt, et recentissimis temporibus ubi morum artiumque cultura magis floret, ibi et cancrorum augescere copiam ex exactis indaginibus ostenditur.

Circa canceri curam dici potest quod magna reme-

diorum quae proposita fuere copia summam pariat inopiam, quum nullius remedii celebrata fama multo constiterit tempore, atque omnia praesidia adversus hunc morbum excogitata in irritum ceciderint. Nihilotamen secius humanissimae artis cultores nunquam ab experimentis atque a tentaminibus desistent, quae morbum profligare doceant humano generi tantopere infestum, et qui victimas miserrime defoedatas rapit ex omnibus commercii humani classibus tum ex pulcherrimo sexu tum ex aetate florenti.

Praesidia quae adversus cancrum adhibentur trifariam dividi possunt: in praesidia scilicet chirurgica, in praesidia medica quae tum interna tum externa esse possunt, atque in praesidia tantum symptomatica.

Si unquam cura hujus morbi radicalis sperari liceat, ipsa e solo fonte chirurgico haberi potest, quamvis auctores et recentissimi resolutionis hujusmodi tumorum exempla referant per pulverem carbonis animalis, per remedia jodata, per helminthochorton etc. effectae. Tamen chirurgia ipsa quae tum ferro tum causticis cancrum sanat, certis indicationibus respondere debet ut in aegrorum juvamen operetur. Namque et individua viribus sat validis curae chirurgicae tantum exponuntur, et in solis cancris externis, et solum

a morbi principio quum tumor nondum interne emollitus, neque externe exulceratus sit, quum neque vicinae glandulae lymphaticae labe affectae videantur, neque eo minus totus organismus aliquod indicium hujus labis offerat, extirpatio accurata morbi aliquam spem integrae sanationis facit. Caustica in cancris superficialibus, limitatis, ergo praesertim in canceris cutaneis adhibentur; in cancrie autem glandularibus, ubi infarctum scirrhosum penitius penetraverit, ferrum. Inter caustica quae ad cancri destructionem adplicantur primas semper habet arsenicum, cui praeter virtutem causticam generalem quaedam quoque specifica cancri naturam alterans tribui posset. Formula celebrior qua adplicatio arsenici externa praescribitur sequens Fr. Cosmi est:

R Cinnabaris	*drachm. duas*
Sang. dracon.	*gr. duodecim*
Arsenici albi	*scrup. duos*
Ciner solear. antiq ust. *gr. octo*	
M. f. pulvis subtilissimus.	

Ad curam chirurgicam recenseri queque potest compressio, quae omnium primum a Récamier in usum vocata, deinde in Gallia summos habuit detractores,

in Anglia vero aliquo cum successu adhuedum adhibetur.

Cura medica externa ab antiquis praesertim in usum trahebatur, quum ipsi loco affecto remedia emollientia, relaxantia, cataplasmata ex seminibus lini, vapores calidos etc. adplicarent, paulatim vero ad discutientia atque ad irritantia; ad emplastrum scilicet cicutae, aut de Vigo cum mercurio, ad emplastrum saponato-camphoratum, ad galbanum, ammoniacum, sal culinare, muriatem ammoniae etc. progrederentur. Ab ejusmodi applicationibus autem, quum ex una parte resolutio maligni tumoris nunquam speranda, ex alia parte praeposterus in malignum exitum ipsius transitus multum extimescendus, nomen «Noli me tangere» ipsi exinde derivatum a posteriori experientia omnino confirmatum fuit.

Cancro organa interna affectante, atque praeterea ubi in canceris quoque externis cura chirurgica praestari non potest, ad curam medicam internam confugimus, quae ni morbum unquam debellat, ipsum saltem a celeriori cohibet progressu. Ad hunc scopum in usum vocata sunt plurima remedia, quorum hic saltem aliqua enumerari possunt: calendulae officinalis extractum a Westring commendatum, ejusdemque plantae

pulvis; pyrola umbellata forma theae propinanda juxta consilium doct. Moschel: cicuta a Störkio et a plurimis aliis commendata; belladonna a Lamberger, aqua calcis a Baumbach proposita; sales hydrargiri muriates juxta Mariot; flores salis ammoniaci martiales juxta de Mar consilium; deinde spir. sal. ammon. caustic. et vapores acidi muriat. a Zungenbühler, arsenicum a le Febure, commendatum. Carmichael praeparata ferri laudibus extollit, Ullman hydrojodatem lixivae; Weise carbonis animalis; O' Meara sphaerococci helminthochorti virtutem celebrat; et sic porro multa alia remedia a diversis auctoribus proponuntur.

Curam symptomaticam opiata perficiunt ad acerbos mitigandos dolores; pro cohibendis haemorrhagiis styptica; analeptica ad vires reficiendas

THESES

I.

Textuum humani corporis divisio in organicos atque inorganicos tamquam erronea refellitur

II.

Humor bilis secretorii humoris dignitatem obtinet.

III.

Terrae ab hominibus inhabitatae vegetationis peculiarem rationem exhibent.

IV.

Neologismi copiosiores scientiae luxuriantis indicia, antiquis vocabulis diutius retenta scientiae impedimenta obsistunt

V.

Doctrina medica Italica principiis nititur e puro fonte Hippocratico deducta

VI.

Phaenomena mirabunda magnetismi animalis, fide digniora, plane non differunt a phaenomenis pathologicis quae nosographia diligentiorum auctorum jam comprehenduntur.

VII

Perspicua argumentatio mentem auctoris honorat, veritatem principii non semper evincit

VIII

Interdum phlogosis ipsam phlogosim a diffusione arcet.

IX

Spina ventosa non semper unam eamdemque laesionem designat

X.

Sicuti post dimicata proelia aliquod regnum vacillat, alterius evehitur gloria; ita et post ferales epidemias doctrinae medicae antiquae locum plerumque cedunt novia

17-